

The Electronic *Manipulus florum*

www.manipulusflorum.com

Incarnatio m cum fonte primo

Tria opera tres mixturas fecit omnipotens illa maiestas in assumptione nostre carnis,
ita mirabiliter singularia et singulariter mirabiliter,
ut talia nec facta sunt, nec facienda sint amplius super terram.
Coniuncta quidem sunt ad inuicem: Deus et homo, mater et uirgo, fides et cor humanum.

Verbum enim anima et caro in unam conuenere personam,
et hec tria unum, et hoc unum tria sunt, nec in confusione substantie sed in unitate persone.
Hec est prima et superexcellens mixtura.

Secunda est uirgo et mater utique et admirabilis et singularis,
a seculo non est auditum, quod uirgo esset que peperit, quod mater esset que uirgo permansit.

Tercia est fides et cor humanum, et hec quidem inferior sed non minus forsitan fortis.
Mirum enim quomodo cor humanum hiis duobus fidem accommodauit,
quomodo credi potuit quod Deus homo esset, quod uirgo fuerit que peperisset.
Sicut ferrum et testa iungi non possunt, sic hec duo nequeunt commisceri,
si non misceat glutinum spiritus Dei.

Et hec quidem mixtura excellens, secunda excellentior, sed tertia excellentissima.

Bernardus sermone X.

Tria opera, tres mixturas fecit omnipotens illa maiestas in assumptione nostrae carnis,
ita mirabiliter singularia et singulariter mirabilia,
ut talia nec facta sint, nec facienda sint amplius super terram.
Coniuncta quippe sunt ad inuicem Deus et homo, Mater et uirgo, fides et cor humanum.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in uigilia natiuitatis Domini*, 3.7 (SBO 4, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., pp.216-17, ll.27-30, 1).

Verbum enim, et anima, et caro in unam conuenere personam;
et haec tria unum, et hoc unum tria, non in confusione substantiae, sed unitate personae.
Haec est prima et superexcellens mixtura, et haec prima inter tres.
Adverte homo quia limus es, et non sis superbus; quia Deo iunctus es, et non sis ingratus.
Secunda est Virgo et mater, admirabilis et singularis.
A saeculo non est auditum, quod uirgo esset quae peperit, quod mater esset quae uirgo permansit.
Numquam, iuxta rerum ordinem, uirginitas, ubi fecunditas praedicatur, nec fecunditas, ubi uirginitas.
Sola haec est, in qua uirginitas et fecunditas obuiauerunt sibi.
Ibi semel factum est quod factum non fuerat nec fiet in aeternum,
quia nec primam similem uisa est, nec habere sequentem.
Tercia est fides et cor humanum; et haec quidem prima et secunda inferior, sed non minus forsitan fortis.
Mirum enim, quomodo cor humanum his duobus fidem accommodauit,
quomodo credi potuit quod Deus homo esset, quod uirgo fuerit quae peperisset.
Sicut ferrum et testa iungi non possunt, sic et haec duo nequeunt commisceri,
si non misceat glutinum Spiritus Dei.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in uigilia natiuitatis Domini*, 3.8-9 (SBO 4, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., pp.217-18, ll.29, 1-15).

Et haec quidem mixtura excellens, sed excellentior est secunda, tertia uero excellentissima est.

Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in uigilia natiuitatis Domini*, 3.10 (SBO 4, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.219, ll.3-4).